ſarũ lib.ß. Olei Amygdalarũ dulciũ ℥ j.ß. Bulliant rurſus ad conſumptionem aquę.

Pulvis cum ſuperſtite Oleo addatur in Compoſitionem.

ELECTVARIA
PVRGANTIA, SOLIDA.

Diacarthami Arnaldi de Villa Nova, apud Silvium. *Hoc Electuario nullum in uſu frequentius; nullius deſcriptio in Diſpenſariis minus conſtant.*

De Succo Roſarum Nicolai Præpoſiti, *cum ſuo Scammonio toto, contra ſententiam Silvii; ut vere ſit* Calcar medicinarum.

De Citro ſolutivum Guidonis, *apud Ioubertum. Nam in aliis fere Sena omittitur.*

ELECTVARIA
VOMITORIA.

Electuaria vomitoria. { Mitius. / Validius.

Nulla extant in Officinis & Diſpenſatoriis vulgaribus vomitoria compoſita. Ideo & hæc hic addere, optimum putavi. Scio parari poſſe in rem præſentem, ſed quæ careant beneficio fermentationis.

Mitius, Diaſarou dictum Fernelio, ſic paratur.

Dia-

Diaſarou Fernelii, vomitivum mitius.

℞. Syruporum Menthæ & Violarum ana ℥ viij.
Coquantur ad conſiſtentiam Mellis. Sub finem, ſubducto igne, inſperge
Rad. Peponis arefactæ
Sem. Raphani & Vrticæ, maceratorum in aqua Roſarum, arefactorum & tritorum ana ℥ j.
Radicis Aſari tritæ & cretæ ℥ ij.
Cinnamomi Sem. Fœniculi ana ʒ iij.
Fiat Electuarium.

Validius, *imo validiſſimum* Dielleborou, *in morbis contumacibus, robuſtis corporibus, ac thoracis ampli, facile vomentibus, atque corpore rite præparato uſurpandum.*

Dielleborou Fernelii, vomitivum validum.

℞. Garyophyllorum ℥ ij.
Fibrarum Ellebori albi ſiccatum & inciſarum lib. j.
Aquæ lib. xiiij.
Fiat infuſio per tres dies. Hinc fiat decoctio ad conſumptionem mediæ partis: & facta diligenti expreſſione, abiiciatur Elleborum. Tum adde
Mellis ℔. vij.

Syrupi de Nymphæa lib. j.
Succi Raphani ℥ iij.

Repetatur coctio, donec reducatur ad conſiſtentiam Mellis.

Electuarium vitreo vaſe excipiatur; & condatur ad uſus.

ELECTVARIA ALTERANTIA.

Electuarium contra vermes.

℞. Farinæ Lupinorum ʒ ij.
Corallinæ Dictamni albi ana ʒ j. ß.
Cornu Cervi, Sem. Caulium, ana ʒ j.
Rhabarbari ʒ ß.

Fiat pulvis, dividendus in duas partes. Vtraque pars coquatur ſeorſim, cum Sacchari in aqua Graminis diſſoluti ℥ iij. Sed uni parti adde Diacrydii ℈ ij. Trochiſcorum Alhandal gr. vj.

Diacodium ſolidum.

℞. Capitum Papaveris albi cum ſuis ſeminibus, quantum voles: Coque: fortiter exprime. Decocti expreſſi libra una coquatur cum altera libra Sacchari, ad conſiſtentiam Confectionis Manus Chriſti, rudicula aliquamdiu agitando.

Ser-